

mutuo inter se communicando naturae beneficia, ad cultum victumque sexcentorum prope millium hominum, qui hanc incolunt provinciam, abunde suppeditat, quin etiam exteris sua subvenit abundantia, eaque compensat, quae ad vitae commoditatem et ad jucunditatem, ipsumve luxum peregre afferuntur.

Etenim omnis pars inferior ita comparata est, ut nihil uberius solo ipsius videri queat. Inprimis excellunt in ipsa valles cum frugiferae, tum vini feraces, das untere Neckarthal, Ramsthal, Enzthal, Weinspergerthal, Zabergau.

Altera autem pars superior, ob der Steige, in tres regiones soli ingenio admodum diversas, dispertitur, quarum primaria in medio jacens, foeta frugibus, arva prataque laeta ubique oculis offert, simulque amoenas valles, à fluviis interfluentibus nomen suum derivantes, das obere Neckar = Fils = Brenz = und Steinlacher = Thal. Excellunt in ea praeterea bini tractus, alter inter Herrenberg, Tübingen et Nagold, alter inter Nürtingen, Koengen et Stuttgardiam jacens, die Filder. Altera pars asperior est coelo, horridaque silvis abietum plenis, inde Sylva nigra, der Schwarzwald vocata. In hac altitudine sua eminent bini tractus, der Knibis und Tobel. Tertia denique regio appellata die Alp, et aliqua ex parte, die Albuch laborat magnam